

habitationi non erit igitur forma terre cū omnibus partibus suis terrestribus et marinis spica imo forma eius esset oblonga. Jam autem declaratum est tibi alibi quod figura terre huiusmodi est et adhuc etiam apparet tibi per aspectum in omni eclipsi lune. id enim quod obscuratur de luna in omni articulari eius eclipsi arcuale est hoc est arcu terminatum ex quo manifeste apparet umbram terre pyramidem esse rotundam. Impossibile autem est corpus non sphericum iacere huiusmodi umbram. quare manifestum est per hoc paradysum terrestrem partem esse magnam totius corporis terre. et esse in extremis finibus orientis et est verisimile quod ipse sit extremitas terre a parte orientis.

Propter quam causam creatus est paradysus terrestris.

Abet autem questiones multas propter quod creatus est. Si enim videretur esset habitatio hominum propter aliud enim creatus esse non videtur cum presciret creator quod homines non erant ibi moraturi per diem integrum. Non videtur igitur creasse illum propter tam breuem morulam habitacionis cui ergo vsui creauit ipsum. De aliis quidem animalibus manifestum est quia cum eiciuntur de habitacionibus suis siue per venationem siue per aliam viam quia creator substituit aliam nec inuenitur locus congruens habitacioni animalium. quem ipse non repleat animalibus illi congruentibus non reliquit igitur paradysum nobilissimam regionem vacuum.

Amplius post eiectionem et casum angelorum de celo empireo curauit secundum doctrinam christianam restaurare ruinam illam et replere loca celi empirei que vacua remanserant animabus sanctis quomodo ergo non similiter fecit in paradysio terrestri quomodo credendum est eum voluisse tam nobilem habitacionem tam preclara opera sua lignorum et fructuum ociosa esse et hoc perpetua. Tu ergo debes aduertere quia quemadmodum plato et platonici putauerunt infernum esse regionem istam generationis et corruptiōis et poete in hoc assenserunt propter causas quas audies in sequentibus. Sic elyseos campos et tempe somniauerunt paradysum quemadmodum esse terrestrum. Ego autem dico hic quia locus paradysi non est habitatio congruens hominibus pro statu in quo morantur.

et hoc est quoniam deliciae corporales valde noxie sunt animabus humanis. Inebriant enim illas et alienant a veritate et rectitudine. et inducunt eas in obliuionem creatoris et illaqueant eos atque captiuant et inducunt eas in seruitutem omnimode corruptionis. Contraria vero deliciarum corporalium purificant atque clarificant et abstringunt ab eis crassitudinem atque rubiginem viciozum et malorum passionum quapropter utilis est multipliciter animabus humanis habitatio respicienda miseris nec oportet vel queratur a me propter quid ergo creator sapientissimus posuit adam et uxorem eius in paradiso deliciarum si deliciae ad noxiam sunt animabus humanis. Jam enim innui tibi quia deliciae corporales non poterant predicta nocumenta. vel alia inferre mentibus eorum propter puritatem et bonitatem atque fortitudinem nature ipsorum quemadmodum vides quia vinum licet fortissimum quosdam ex hominibus inebriari non potest propter bonitatem complexionis ipsorum bonamque dispositionem capitis eorum quosdam autem licet debilissimum et ad modicum sumptum statim inebriat propter moliciem complexionis ipsorum et debilitatem capitum eorumdem. Sic factum est in toto genere humano postquam natura humana in adam et eius uxore corrupta est et infirmata omnes corporales deliciae facte sunt eis in vinum vehementis inebriationis et in augmentum corruptionis et egritudinis in primis parentibus adam scilicet et uxore eius. De hoc vero quod dicit quia debuit creator benedictus alios homines in paradysio substituere scilicet incorruptos quibus habitatio illa deliciarum congrueret. Respondeo quia meliores et incorruptiores quam adam et uxorem eius naturaliter fieri non poterant quare verisimile est quod idem de illis accideret quod de adam et eius uxore iam acciderat et per hanc viam iret res in infinitum. Si vero dixerit quia possit eos deus custodire bonos et immaculatos. Verum utique dicit sed prelegit diuina sapientia et bonitate. potius ex malis hominum bona elicere quam mala illa esse omnino non finem ex causis quas audies in tractatu singulari de prudentia et cura ipsius quibus vniuersum administrat et regit. De hoc autem quod querit ut quid deus preclaram illam habitacionem nobilissima ligna et fructus prestantissimos ociosa esse per-